



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

63 Missae plures una die in quibus casibus possint ab uno sacerdote celebrari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

gravibus viris sub nomine Cardinalium, præsertim Cardinalis Guastavilliani ipsius Gregorij nepotis scriberet; ac illis fretus, pluribus in locis se Episcopum Manfredonia nominaret: & sacris ordinibus carens, Missas quamplures, præsertim transmare in Hispaniarum regnis, Pontificali-ter celebrare, ac quamplura beneficia vacantia conferre, ausus fuit. Dispensationes etiam concessit pro nuncio Sanctæ Sedis Apostolicæ se gerendo, & fratrem germanum prædicti Cardinalis Guastavilliani se esse jactando, donec fraude detecta, carceratus, ab Hispania ad Urbem captivus transmissus, in carceribus sanctæ, & supremæ Inquisitionis positus fuit, indeque fabricato, & perfecto ejus processu, pœnas luit, laqueo scilicet deaurato suspensus, ut etiam de visu ipse testari possum.

Deinde ad nefariam, & sacrilegam similiam hominum temeritatem coercendam, qui ad sacrum presbyteratus ordinem minimè promoti sint, sacerdotis tamen auctoritatem sibi temerè assumentes Missarum celebrationem usurpare, & sacramentum pœnitentiæ ministrare audent, Clemens Papa VIII. motu proprio, & ex certa scientia, Sanctæ Inquisitionis judicium conscientia consulere, & ne in futurum de pœna hisce delinquentibus imponenda dubitari possit, providere volens, sua perpetuò valitura constitutione decrevit, atque statuit; ut quicumque non promotus ad sacrum presbyteratus ordinem repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse, vel sacramentum pœnitentiæ ministrasse, ab iudicibus Sanctæ Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, tanquam ecclesiæ misericordia indi-

gnus, à foro abijciendum esse statuit, & ab ordinibus ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatum, statim curiæ seculari per iudices seculares debitis pœnis plectendum tradi mandavit, ut in litteris sub die prima Decembris 1601. desuper expeditis.

Secundò, † Missa notæ, nisi à jejunis sacerdotibus debet celebrari, quod fuit decisum in conc. Carth. ut in c. *Sacramenta de consecr. distinct.* 1. qui post cibum, vel potum etiam minimum, divina celebrat, est excommunicatus, c. *nihil*, d. *nullus*, 7. *quest.* 1. Hostiens. in *sum.* §. *Qualiter jejuno*, nu. 13. de *consecr. Eccles. vel Alta.* † Ebrivus verò non præmissa digestionem celebrans, est beneficio privandus *cap. si constiterit, de accus.* & ibi *Abb. num.* 1. non tamen alias solum propter ebrietatem potest quis beneficio privari, ut ibi *Abb. numer.* 3.

Tertiò † majori excommunicatione excommunicatus, vel interdictus, aut ab homine à divinis suspensus Missam celebrare prohibetur, & celebrans depositionis pœnam incurrit, *cap. penult.* 11. *quest.* 3. c. *clerici*, *cap. latorcs, de cler. excom. ministr.* & ibi *Abb. num.* 1. & *Host. in sum.* *numer.* 1. *vers. excommunicatus igitur, edemtit.*

Quartò, sacerdos regulariter unam tantum Missam in die potest celebrare. *sufficit, de consecr. distinct.* 1. *cap. consulti*, *cap. te referente, de celeb. miss.* & contrafaciens mortaliter peccat. *Navar. capit.* 25. *numer.* 87. *tom.* 3. Quæ regula limitatur per eundem *Navar. ibi in septem casibus.*

Primò, ut non † habeat locum in die Nativitatis Domini, qua tres dici possunt,

sunt, *cap. nocte. junct. gloss. 2. de consecr. distinct.*

64 Et prima, quæ ¶ media nocte celebratur, quo tempore Christus natus est significat tempus ante legem, quando eramus in tenebris: secunda in aurora, tempus in lege, quando nondum plena cognitio habita fuit. Noctē prior, sub luce sequens, in luce suprema, sub Noë, sub David, sub cruce, *d. gloss. 2. & communiter loquendo Missa dici debet in die, & non in nocte; quia hoc sacramentum ad tempus gratiæ pertinet, quod per diem significatur, nox præcessit dies autem appropinquavit. Paul. ad Rom. c. 13. cir. fi.* Secundò, fallit dicta regula deficiente alio sacerdote, qui Missam possit celebrare in adventu alicujus magni Principis, aut Episcopi, quos decet singulis diebus Missam audire, vel Episcopum dicere, *cap. su. de privil. lib. 6. & eadem ratione, supervenientibus peregrinis, etiam quod non essent personæ notabiles, si sub præcepto illo die ad audiendam Missam teneantur. Tertiò, cum statim dicta Missa corpus defuncti occurrit sepeliendum & viget consuetudo, ne sine Missa sepeliatur. Quartò, quando aliquis ita ægrotat, ut necessario sit communicandus & deficiat Eucharistia. Quintò, cum quis præest duabus ecclesiis unitis, duabus Missis indigentibus, & non est, qui alteram dicat. Sextò, ob nuptiarum benedictionem. Septimò, cum occurrit causa, quæ arbitrio boni viri justa judicatur; quia est licitum celebrare bis, urgente necessitate, ex tradit. per Navarr. *ubi supra.* Sed cautius putarem abstinendum, duobus casibus exceptis, in adventu principis, seu Episcopi, & quando necessario quis esset communicandus, &*

utroque casu, si ante purificationem fuisset requisitus, & calicis digitorumque purificationem sumere distulisset, quæ impedit secundæ Missæ celebrationem, *cap. ex parte, de celebrat. Miss. & gloss. fin. in cap. sufficit, de consecrat. distinct. 1.* In reliquis autem casibus, dictis duobus exceptis, puto à regula non esse recedendum, sed unicam tantum missam in die celebrari licere, per dictum *cap. sufficit, cum alijs supra, n. 62. allegatis.*

65 Quintò, ¶ missa debet celebrari super altari consecrato, & licet de jure communi non caveatur, qua pœna contrafaciens sit puniendus, cum sit omnibus notorium, Eucharistiæ sacramentum super altari non consecrato, confici non debere, altariaque, ubique lapidibus sacratis munita esse; pœna hujusmodi ¶ pro qualitate personæ, & loci, arbitrio Ordinarij videtur instigenda; quia non poterit contrafaciens evitare, quin deprehensus sit in negligentia crassa, & punibili, ultra quod fere ubique à conciliis provincialibus, & synodalibus, fuit in similibus apposita pœna, & facit *tex. in c. nullus presbyter. il. 2. de consecr. distinct. 1. & concil. Tridentin. decret. de obser. & evit. in 6. celebr. Miss. sess. 22. & concurrentibus alijs, quod veraretur in maxima negligentia, ¶ cum alias celebrans, etiam sine aqua, & igne, aut in pane fermentato, & calice indecenti, esset ab officio, & beneficio deponendus, cap. fin. de celebrat. Miss. & ibi Abb. numer. 1. Quia hæc esset supina ignorantia, quæ dolo æquiparatur ad depositionis pœnam ineurendam ut ibi Abb. numer. 2. Et pro dilictò enormi potest fieri depositio, cap. tua, & ibi gloss. & Abb. n. 1. de pœn.*

L II

Sextò,